Wężyk Joannes
Archiepisc. Gnesn.

Carmovlani Soc. Jesu Coll. Juvent. Urano-
scopia.



VRANOSCOPIA

QVAM SVB

AVSPICATISSIMA ARCHIPRÆSVLATVS

INITIA

Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini

D. IOANNIS WEZYK

Archiepiscopi Gnesnensis Legati Nati, Regni Poloniæ Primatis, ac Primi Principis

STVDIOSA

Carncouiani Societatis IESV Collegii

IVVENTVS

ad vtrumq; Cœli cardinem benignâ

QVATVOR SERPENTVM

ASTROTHESIA

SVSPEXIT

OBSERVAVIT

AC

debito gratulationis obsequio

PROSEQVVTA

EST.

CALISSII ANNO DNI. 1627.

In Officina Alberti Gedelii, Archiepiscopalis Typographi.


BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE


Vigilantia
Fecunditas
VIRTUS
FELICITAS
AUTORITAS
SCIENTIA
1627

PANEGYRIS
SYNCHARMATICA

VT primùm DEI Bonorumq́ omnium voluntate, salutarem Reipublicæ nostræ operam manumq́ adiecisti Princeps Illustrissime adeò totum Te bono Patriæ, vsibusq́ nostris consecrasti, vt tua Tibi in minimis semper essent, Deo soli, ac Reipublicæ omnes vitæ, ac instituti Tui dependeres rationes. Et verò licet omnibus prope diuturnâ vexatione laboret malis, non adeò tamen ad bona quoq́ sua percipienda occalluit; vt eorum aut sensu careat, aut amiserit cupiditatem: sentit liquidò quâ parte melius fiat, quâ malum increscat, quâ leuetur: In Tuas proinde manus, à quibus lenissimè adhuc retractari sese persensit, placidè inclinato pondere tota procumbit: vt inde bene habeat vniuersa, vnde affectarum partium circularia prope vulnera ex integro præsanata recepit. Ac diu quidem iam factum est, cùm illa Te perpetuo quodam suo iudicio, certoq́ proposito diligere cæpit: sensim ei ferendo oneri exæquans, quod iam intulit: Tu verò longâ assuetudine obfirmatis exploratisq́ humeris, onus equidem studiosissimè subiisti, perinuitus adiisti honorem: cùm etenim omnia semper faceres vt deberetur, fecisti vnquam nihil, tanta vt deferretur amplitudo: sed nostro, Tuoq́ vt apprecamur bono, vicit Pietas. Sanè pro eo ac solitus est, sapientissimè fecit, autor consilii huius, Rex Serenissimus, Tu verò Præsul Illustrissime etiam fortiter; neq́ enim cum Reipublicæ nauem ferentes, & breuis cursûs venti propellerent, suffragantem gubernaculis manum addidisti: sed tot inter desæuientium malorum tempestates funestissimè deprælianti, iuxta eum qui solus premitur vniuersis, auxiliaturus obuenisti; ne videlicet deesset Aaron Moysi nostro, cuius robore reualesceret ipse, ac humeris se Patriamq́ sustentaret vniuersam. Olim id quidem, & Tu Tuâ merebare virtute, & instituta præsentium temporum ratio postulabat; sed nescissemus quantùm Tibi deberet Respublica, si antea arcem prope ipsius, cui nunc præsides, conscendisses: expectatum proinde tempus est, quod palam faceret, Te aditu hoc dignitatis, non tam accepisse beneficium, quàm dedisse: atq́ constans ea bonorum omnium vox est; qui Principatûs fortunam, non specie tituloq́ tenus expendunt, sed eâ, quam veritas præscribit, ratione arbitrantur. Permulti igitur qui in Republicâ nostrâ manentem temporum stationem, pro eo ac debent inuicti ferunt, Tuam in Rempublicam voluntatem, infractumq́ animum studiosè suspectant, atq́ eam, quâ Te exornarunt, dignitatem ingenti se boni communis fœnore apud Te collocasse illustri gratulatione contestantur. Nos verò qui eidem Patriæ futurus quasi populus maturamus, etsi minùs præsentibus Reipublicæ attingamur malis, ipsâ nihilominus laborantium affinitate, in dolorum societatem, occultis nexibus ita pertrahimur, vt consternatos nonnunquam animos, quod pro malis temporum procliue cogitare est, subeat prætimere; ne cum iure Patriæ viriliq́ togâ, calamitatum quoq́ hæreditatem adeamus. Eâ tamen, quæ summa proxima est potestate in Te compositâ, in tantam meliorum fiduciam asserti sumus, vt cùm delatos ex merito Virtuti Tuæ honores, toto animi cultu, cultusq́ veneratione prosequi statuerimus, prope nihilominus sit, vt nobis gratulemur magis, quàm Tibi: videris

enim maximi instar ſyderis, diffuſiores orbi noſtro radios inſperſurus ; cùm idem ab optimo Principe ampliſſimis procedente honoribus præſtolandum cenſeamus ; quod ab altiùs ſeſe ſubleuante ſole fieri experimur. Sed potiorem institutæ gratulationis contextum Tua ſibi iure optimo Virtus adſcribit : quæ ab illo vſq; tempore, quo primùm Rempublicam attigiſti, haud obſcurè pluribus diluxit, tantumq; ſui apud multorum animos excitauit amorem, vt iam tunc primæuo illo ſenſim publico naſcentis ſplendore mirificè recreati, quaſi è ſublustri auroræ exortu, pleniſſimum amplitudinis Tuæ diem ominarentur. Hoc illud erat temporis, cum Te, fidemq; Tuam, intus agente Deo Sereniſſimæ Aulæ obstrinxisti: Senatoris olim futuri, ſenatuſq; Principis, prima ibi rudimenta poſiturus, vnde Respublica vniuerſa, quaſi è ſpeculâ quadam & peruideri luculentiùs poterat, & ſanctiùs adamari. erat iam tunc haud imperitus, nonnemo, vt res ipſa extulit rerum æſtimator, qui generoſa VIRTVTIS GLORIÆQue TVÆ incunabula conſpicatus, grauiter æquè ac ſapienter edixit ; tam bene inſtituta omnemq; in partem obfirmata initia, non niſi magnis ad ipſum amplitudinis culmen itineribus prouehenda fore: qui idem ſenſus cæterorum quoq; animis inerat, quicunq; principes in Republica partes ad optimos quoſq; vel tacita cogitatione deferebant. Neque verò tenui quapiam coniecturâ in eadem inuitabantur existimationem, ſed ſolidam illis adſtruebat ſpem, admirabilis ille virtutum Tuarum cinnus, qui tantam Tibi adſperſerat gratiam, quantis oculorum illecebris efferre ſeſe aſſolet illimis diei auſpex ſolare iubar, cum nullis inobſcuratum nubibus defæcatas enaſcentibus radiis inornat auras. Adeò virtutum gubernatrix Prudentia, omnia in Te ad gratiam compoſuerat, vt cùm ſumma quæq; haberes, ſuis tamen ſingula officiis, ac quaſi ſtationibus ita continebas, vt nec igneus animi in agendo vigor, conſilium præueniret, nec tamen retardaretur ab illo, nec Modeſtiam Celſitudo vltra metas ratione circumſcriptas vrgeret, nec viciſſim â demiſſione, infra Magnificentiam deiiceretur: inerat quædam promiſcuæ licet comitati, autoritas; autoritatem omnium amor peruadebat: commendabatur taciturnitate ſermo ; ſilentium prudentiâ ſermonis honeſtabatur: mirabantur alii promptitudinem in reſponſis, maturitatem alii laudabant: perennis ſuiq; ſemper perſimilis animi tenor placebat aliis, alios Constantia, Fides, fortitudo, candor, pacatum tranquillæ mentis æquor, in admirationem, pariterq; amorem Tui, ac obſeruantiam rapiebat: inuidentiæ tamen liuorem, quæ rariſſima virtutis felicitas eſt, opportuna vbiq; moderatio inhibebat. Hæc nos omnia Princeps Illuſtriſſime, aut memoriâ ſæpiùs, aut diffuſiùs deprædicatione percenſemus ; quia cum ea de te ex maioribus noſtris accipimus, primùm quidem nos ipſos, complures deinde alios amicos virtutum Tuarum æmulos Reipublicæ, peroptamus: eat hæc in poſteros quoq; noſtros recordatio, fuiſſe quondam Patriæ noſtræ Illuſtriſſ. Ciuem, cuius ſingulæ ætatis partes, ſingulis ætatibus hominum, aut cenſuræ quædam fuerant morum, aut ideæ, cuius vnius moribus, aut omnes probi viuerent, aut formarentur ſtudioſi ; aut improbi caſtigarentur. Hæc Tu amplitudinis Tuæ auſpicatiſſima feciſti eſſe primordia, has Tuarum laudum optimè conſtitutas poſuiſti ſubſtructiones, quibus magnifica Diuinâ voluntate inædificata, inſiſtit honoris moles, æternùm ſi naturæ conditio ferret, perennatura: VIRTVTE namq; ſubſtructus HONOR nec temporum viciſſitudine variatur nec labefactatur iniuriis, nec concedit aduerſis, nec concutitur proſperis, nec vllum vnquam à ſuffuſis maleuolentiâ animis vitium pertimeſcit. Sed ecce ab ipſis quaſi carceribus, iam ad vſque metam improuiſo lapſu decurrit oratio:

reprimenda

reprimenda est, statum namque ibi habituri sumus, vbi Tu quoq; illustrissimâ statione consistis. Posteaquam igitur magno illo Regiæ Aulæ theatro Virtus Tua spectata, altiùs sese aspirante Deo in opinionem hominum euexit, atq; ei quem penes est Respublica, præclarum sui dedit experimentum; subiit Sapientissimum Regem cogitatio, non tam Virtutem Tuam honoribus illustrandam, quàm amplissimos Patriæ nostræ gradus Virtute Tuâ exornandos esse: Religiosissimi igitur Mogilnensis Monasterii Abbatem Te renunciauit; ingens omnium approbatio consecuta est, nec quisquam è sacri illius recessûs cultoribus, apertis sibi temperare poterat lætitiæ argumentis: eum etenim, quem suis iam ipsi sermonibus, ac votis omnibus designarânt, PATREM sibi destinatum esse cognorant, omnesque in Tuum vnius nomen tanto studio ferebantur, vt si optimus quisq; è medio sui dilectus esset: Vnicum illud præter exspectationem eorum cecidit, quòd spem omnem quamlibet amplissimam illustribus Paternæ beneuolentiæ officiis prorsus superâris: cui fidem facere videtur, quòd maius apud eos Tui desiderium reliqueris, posteaquam officio illo abiisti, quàm optareris priusquam adiisses: solidæ enim virtutis id est, vt quò penitiùs familiariusq; inspicitur, ametur ardentiùs, bracteata omnia solaq; simulatione inducta, desideramus plerumq; eminus, cominus fastidire solemus. Quamuis autem totum illi Te, omneq; ad tempus sibi vendicare contenderent: plurium tamen vtilitati potiùs, quàm paucorum quantumuis incensissimis studiis deseruiendum censuit Rex Serenissimus: Abbatis proinde curæ, Præmisliensem addicit Episcopatum, vt quàm maximæ parti Reipublicæ nostræ prodesses, qui iam tunc opem sufficere poteras vniuersæ. Instructissimus hic fuerat lætitiæ apparatus, tantoq; magis, quantò ita celebrabatur ab omnibus, vt totus ad singulos pertinere videretur: gestiebat prope sanctum illud Monasterium, eum se habere PATREM, qui & numerosissimæ Ecclesiæ optimus Antistes, & amplissimi Regni magnus Senator audiret; nominisq; tui iam prouectam in altum gloriam, nomini, Sanctitatiq; suæ adstruebat. Iam verò Respublica vniuersa nonne illustri fauoris contestatione, sanctissimo te Senatorum collegio adscripsit? ac tantopere adamatum nomen peculiari quapiam insigniuit beneuolentiæ gemmâ; non diu eò moratura loci, quo primùm defixerat; sed opportuno Pietatis compendio, in augusto illo Regni Procerum albo, primam fulgore Tuo collustratura ceram, vt idem esses ornatissimi Senatûs primicerius, quem virtutis esse, haud leuibus iam olim cognouerat experimentis. Sed tantus licet vbiq; circumstrepebat gratulationis plausus, toto tamen quasi impetu suo, in eas incubuerat Regni oras, quæ te optatissimo gaudebant PRÆSVLE, vt ex intimis animorum recessibus, in apertum prorumpens, in ipsis vultibus, oculisq; cunctorum, tandemq; tectis, ac plateis sese animosiùs iactaret: nec sanè immeritò, fit enim, vt quâ primùm quisq; de Principe suo occupetur existimatione, ex eâ suæ deinceps constitutionem fortunæ, soleat præsagire. Tui verò Præsulatûs ipsa denunciatio prima, tantam in animos eorum Virtutis Tuæ infuderat lucem, quantâ sine nube facturus diem, sol primo exortu serenat orbem: vbi verò te in suis iam adspexerunt, consalutaruntq; sedibus, vni tibi, quasi benigno cuidam auspicatoq; syderi mentes, oculos, vultusq; aduerterunt: Te vnum votis omnibus, festoq; apprecationum clamore dedicabant: vnus eras, à quo & omnia omnes præstolarentur bona, & soli comprecarentur vniuersa. Et sanè quàm maximo fænore illi suas, apud animum tuum, magna omnia parantem, beneuolentias occuparunt; cumulatissimâ enim votis eorum præstitisti redhibitione: primùm quidem cùm omnium te æquo Paterni amoris iure teneri sentires,

res, iisdem præsentiæ tui copiam, ac solicitudinem terminis definiuisti, quibus latissimè procurrens Episcopatûs Tui dioecesis clauderetur: plurimus itaq; vbiq; eras, nihil aut despiciens arduum, aut longinquum negligens, aut deserens inaccessum: Venisti quocunq; Te tua Virtus, diuiniq; cultûs proferendi studium perurgebat: Vidisti, quicquid autoritate tuâ, aut confirmari rectè institutum, aut deflexum reparari, aut instaurari neglectum, aut susceptum rescindi, aut corroboratum infringi oportebat: Vicisti inuictâ freti DEO animi contentione, quicquid pertinaci vesaniâ, diuina humanaq; sancita malè perditum ibat. Beatam proinde se, & verò meritò prædicabat suo sole regio illa, qui tam indefesso motu, autoritatis beneficentiæq; suæ amplissimos quolibet admonebat fructûs: beatam Antiste suo, qui ita præstaret aliis, vt nusquam interim abesset: beatam Custode, cuius adspectus, nihil non præcauisset, communisset omnia: beatam Præsule, qui arduis quibusuis, sui capitis præsiluisset periculo; virtutibus suo primus præiuisset exemplo: beatam deniq; Parente Optimo, qui non Rhadamantheo vultuosus supercilio sibi impenderet, sed placidos, Paternaq; benignitate serenatos quaquauersum diffundebat adspectus; qui & suis omnibus non facie tantùm, Episcopiq; tenus officio notus, sed Paternâ quoq; pietate notissimus esset, & omnes non tam potestati obstrictos, quàm potiùs fidei beneuolentiæq; suæ adoptatos in Christo filios inspectaret. Amabant hæc illi omnia in Te, fruebantur omnibus, omnia dilaudabant; tamq; altè suas demiserant in voluntates, vt nonnisi peragrè iis etiam quorum voluntati parere fas est renitentes, auelli paterentur. Luceoriensis itaque Præsulatûs gradum, ne faceres, cum iubereris contentissimè intercesserunt, non quòd Virtuti tuæ maiora quæq; denegarent, sed quia similes quidem illi omnibus aliis Antistites exoptabant, sibi tamen ita te Vnum delegerant ex omnibus, vt si per omnia liceret, dum viueres retinerent. Ea nos omnia Princeps Illustrissime, vt maximo illorum bono gesta esse fatemur, ita summâ vtilitate nostrâ ab aliis audimus, & amplissimi fructûs expectatione prædicamus: ipsa etenim natura oculos mentesq; nostras ad altiora subrexit, ad ea conuertimur omnes, dirigimur ad ea, facilesq; omnem in partem ducimur à Principe, ac vitæ sanctimoniam tantò cupidiùs consectamur, quantò illustrioribus prouocamur exemplis. Interea altioribus iam satis matura virtus, diuinâ Sapientiâ positam properabat tẽporum rationem, quâ Tuum nomen mox Princeps futurum, propter ipsa principia admoueretur: factum igitur: improuiso obitu desideratum est illustre sanctioris Senatûs ornamentum Posnaniensis Antistes; magnum suo tempori vtroq; splendore nomen; ei Tu (quanta bonorum compendia existimatio conficit virtutis) admirabili studiorum syncretismo suffectus es: testatissimis bonorum omnium desideriis expectatus, celeberrimâ optimè volentium animorum solemnitate acceptus: vnicum subtriste fuerat, quòd diffusissimum illum efflorescentis lætitiæ vigorem, intra modum ponere videbatur; ægerrimè scilicet dimittebare à tuis: ita quicquid tum in maximâ Reipublicæ nostræ parte, aut lætitiæ delectamentis vernabat, aut hyemabat mærore, Tu vnus in vtramq; vicem augustam sufficiebas materiem, cùm apud alios quidem ingens desiderium tui discedens relinquebas, in aliorum animis noua aduentu Tuo gaudia instaurabas. Sed non diu tenuit iustissima hæc, honestissimaq; pugnantium inter sese studiorum decertatio, breui in vnam totoq; peruagatam regno coaluerunt lætitiam: siquidem non vt consisteres inuitatus fueras, sed quia facilior, tutiorq; visus est à proximis, ad summa conscensus. In ea nihilominus exigui temporis commoratione, omnes Parentis optimi, ac vigilantissimi Præsulis numeros

obiuisti:

obiuisti: cùm & amplissimæ totius vrbis panægyri perillustre pietatis instar temetipsum proponeres, & eorum fidei, tum potissimum caperes experimentum, cum plurimis, aut proprio, aut publico tenerentur præstandis; fecisti igitur vt quamuis præclaro alias, tunc verò etiam magnificentissimo voluntatum apparâtu, sanctiores illas ferias celebrârint; nam Tuam quisq; cùm quàm proximo gradu subsequi conaretur religionem, in maximam sese excitabat, pharumq; quam tu prætulisti omnibus, sibi inuicem omnes piâ contentione rapiebant. Neq; verò solius D E I, diuiniq; cultûs apud animos eorum studium insurgebat, sed tui quoq; ipsius, virtutumq; Tuarum mirifico inardescebant amore: habet enim id, postquam innotuit Virtus, vt sui conscios eodem quasi tractu in imitationem pariter, rapiat & amorem. Ex iis proinde quibus beati erant Episcopatûs Tui primordiis, infinitas prope, nec incongruâ coniecturâ bonorum suorum ominabantur accessiones, atq; omnia in Te Vnum, voluntatum suarum contulerant vota, quo seruato, omnia sibi ex voto processura facilè existimabant. Tantis siquidem beneuolentiæ, amorisq; tui depositis apud se pignoribus: non aliter deinceps Tecum, quàm ex syngraphâ acturi videbantur; fit namq; nescio quomodo, vt quos ita virtutibus instructos esse aduertamus, nisi insigniter boni sint, quasi muneri, officioq; desint, iniustos iudicemus. Te verò eum nacti fuerant Episcopum, à quo nonnisi ea omnia, quæ de optimo quoq; aut cogitassent quandoq; ipsi, aut ab aliis audiuissent, non tam sperare poterant, quàm debebant. Et sanè talem illi te fingebant animis suis, talem Tute ipsum arcanis cogitationum tuarum sancitis institueras, talem côtueri cœperant, talem prædicare: illam etenim ipsam, quàm Præmisliensibus Tuis relique-ras felicitatem, vnâ Tecum ad se deuolutam esse arbitrabantur, proinde tam diu sibi Te Episcopum comprecabantur, quàm diu beatos, felicesq; esse se cupiebant: quam in spem non obscuris voluntatis tuæ inducebantur argumentis, nam & lustraturum Te Præsulatûs Tui prouinciam repromittebas, & quod iam præstiteras alibi, sacrum ex animorum curatoribus habiturum senatusconsultum, quo proferendi diuini cultûs, asserendæq; salutis studia, sicubi forte intepuissent, refoueres. Hæc tu comparabas omnia, hæc illi præstolabantur, cùm æterna gubernatrix rerum Prouidentia, optimè susceptis, institutisq; principiis, non vt rescinderet intercessit, sed vt in alios commutaret. subitus ex improuiso ire cœpit in omnes rumor, pluriumq; sermonibus audacter increscere, ad summum te Reipublicæ nostræ Archipræsulatum vocari, atq; in proximo esse, vt, ita volentibus iis, quorum intererat, deseras Tuos. Pupugit hæc inopina auditio multorum animos, eamq; peracerbè procul dubio sensissent, ni illud ad officium æquitatemq; animos reuocasset, eâ te conditione vnico Præsulatu abire, vt reliquorum omnium amplissimus denuncieris Primas, adducebantur ergo facilius, vt boni consulerent eo se carere Episcopo quem & hierarchici Magistratûs summum Archipræsulem, & primum Politici Senatûs Principem conspecturi essent; maximè verò cùm idem iam nobis omnibus abunde posses, qui solis illis adhuc commodabas. Hic vero vbi ornatissimam illam fausta, bonaq; omnia comprecantium salutationem, votorumq; in bonum ac salutem Tuam nuncupatorum reminiscimur: res admonet, lociq; ratio, ac inclinatæ iã orationis decursus exigere videtur, vt nos quoq; Illustrissime Princeps, eâ quâ par est optimè volentium animorum celebritate TE GNESNENSEM ARCHIEPISCOPVM, LEGATVM NATVM, REGNI POLONIÆ PRIMATEM, AC PRIMVM PRINCIPEM *compellemus; Vetus id quidem, auribus tuis offerimus acroama, fatemur: vetus est multorumq; celebratum sermone,*

ue, plurimis certatim exaggeratum studiis, encomiis adornatum, uniuersæ demum Reipublicæ nostræ gratulationibus animatum; sed apud animos quoq́ n[illegible]ros, illud gratulandi Tibi desiderium, quod primo Archipræsulatus Tui rumore suscitatum exarsit, magnis continuò incrementis succrescens, quiescit necdum: ut miremur subinde locum fuisse augendi in eo, quod nobis iam olim ex æquo cumulatum esse uidebatur. Est hoc diffusissimi nostrûm omnium in Te amoris, est hoc eius spei, quam non temerè leuibusq́; coniecturis inducti in animis nostris confouemus; est hoc uirtutis Tuæ, quam non intra priuatos parietes exercitam, sed in ipso Reipublicæ nostræ sole; illustribus semper experimentis uegetatam perspeximus, ut ea in te studia, quæ animis nostris penitissimè insederunt, nullam unquam subitura sint deminutionem, sed unà cum Tuis in Rempublicam bene meritis pari semper passu, non obscuris successibus augeantu[illegible] [illegible]acimus ergo, tempore quidem ut primùm licuit, studiorum uerò contentione [illegible]am Virtuti, amplitudiniq́ Tuæ exæquare conati sumus; gratulamur debit[illegible] [illegible]VTI TVÆ præmium HONOREM. Tibi ipsi cælestium opum numerosi [illegible] fœnoris onus, plurimis malis conflictatæ Ecclesiæ, fortissimum propugnatorem: sac[illegible]issimo Episcoporum Collegio lectissimum Primatem: Illustrissimo rei politicæ Senatui Sapientissimum Principem: Gnesnensi Archidiœcesi Vigilantissimum Antistitem: Amplissimo sedis illius Clero, clementissimum Patrem: Reipuclicæ deniq́ uniuersæ, eum quem sibi tantâ contestatione delegit, quem à primâ ætate in Primum sibi Principem formauit, altissimoq́ amore sui innutriuit: quem adeò contentis studiis prosecuta est, ac per magna omnia, ad summa deduxit: quem Pietate, ac mansuetudine Bernardum, labore, & uigilantiâ Benedictum, inuicto animi robore, & Maiestate Basilium in præfecturâ claustrali habuit: Cuius in altero Episcopatu Stanislai zelum, Augustini doctrinam, Thimothei sedulitatem, Sanctimoniam Titi perspexit; in altero integritatem Fidei, ac paternæ in suos beneuolentiæ affectum, Magni Athanasii genuinas dotes admirata est: quem postea quam in summum apud se sacerdotii fastigium prouexit, Primumq́ totius Regni Principem esse uoluit, eò habitura sit loci, quò suæ olim fuerat Italiæ Ambrosius, Angliæ Thomas, Chrysostomus Græciæ; aut certe quò magna illa summeq́ sibi salutaria nomina quibus eum suffecit, optimo eius sanè promerito; cùm ab eo Roberti Ciołek Sapientiam, munificentiam Bozutæ Wieniawski, Ioannis Iaxæ religionem, indefessum Fulconis laborem, Wtostibori humanitatem, Iaroslai profusum in decorem domûs DEI animum, Fortitudinem Alberti Iastrzbski, Vladislai Oporowski sanctimoniam, autoritatem Ioannis Laski, Stanislai Karnkowski uigilantiam, gloriam, prudentiam, munificentiam, certissimâ sibi asseueratione repromittat. Atq́ illa quidem ad illustrissimam eorum seriem nomen Tuum gratulabunda adscripsit, simulq́ studiosissimæ uoluntati Tuæ immensum de se bene merendi prostrauit campum, tantò siquidem amplioribus spatiis tua procurret Virtus, quantò ab ipsâ sedis sublimitate, maiori exaggerata impetu descendet: habēt enim id altissima queq́, ut non nisi uehementissima sint in operando. Nos uerò Princeps Illustrissime, eâ quam subitis horis adornauimus operâ augustum gentilitiæ Nobilitatis Tuæ insigne, sacro Gneznensis Basilicæ tholo suffigimus, æternumq́ optimè uolentibus animis dedicamus ac consecramus: non alio posthac Rempublicam nostram circumspecturi obtutu, quàm quo cælum ipsum, cui contemplando nati sumus, suspicere assolemus: ut enim totum illud cæleste æquor ad utrumq́ sui cardinem benignâ quatuor serpentum astrothesiâ distinctum resplendet, nec quicquam ampliùs serpente nobis

obiicit

obiicit peruidendum: seu quâ parte sui mouetur ocyßime, seu æternum defixâ quiete consistit: ita Respublica quoq; nostra quatuor sui nobilißimas partes serpente Tuo inornatas ostentat: ac numeris omnibus absolutam Virtutum Tuarum encyclopædiam, absolutissimo quoq; quasi titulorum tetrasticho decorauit; cum veluti ad vtrumq; sui cardinem Diuinam scilicet ac humanam politiam, serpentem Tuum prætexuit, Virtutiq; Tuæ Primatum detulit vtriusq;. Ad eam nos totius Patriæ nostræ apparatißimam celebritatem, vt ætatis, institutiq; nostri rationes tulerunt, amplißima in bonum Commune, Honoremque Tuum concepta Vota, illustrem bene volentis animi contestationem, profusas Celsitudinis Tuæ studio voluntates, atque hanc ipsam demum multis de Te Princeps Illustrißime locuturam seculis operam adportamus. Faxit ille à quo est omnis potestas DEVS, vt Respublica nostra, Te supremo sacrorũ Antistite, eâ quæ sola est, Religione, Te maximo Legato, altißimâ pace, Te Regni Primate, gloriâ, Te vtriusq; Senatûs primo Principe, vtraq; simul, non nisi Tecum valeat sospitate.

PETRVS IWINSKI.

Adeste huc.

(inquit Nazianzenus cum suum laudat BASILIVM).

ac me circumsistite omnis illius chorus, tam qui Sacrarii estis, quàm qui inferioris ordinis, encomium mecum conficite alii alias virtutes illius proponentes. Qui Rempub. geritis Reipublicæ Principem, qui subestis moderatorem, Virgines, castimoniæ magistrum, simplices ducem, iuuenes frenum, afflicti vindicem, calamitosi solatium. pauperes largitorem orphani Patrem, peregrini hospitalem, ægri medicum, sani custodem, omnes deniq; eum, qui omnibus, omnia factus est, vt omnes, aut certè quamplurimos lucrifaceret, in Monodiâ,

Quidni

Nos eadem de Nostro, in quo perspicimus eadem?

ARCHIEPISCOPO



QVALEM

Magnum Episcoporum specimen PAVLVS oportere esse sanciuit Episcopum, talem habemus

TE PRÆSVL ILLSTRISSIME

Qui forma iustitiæ es, sanctimoniæ speculum, Pietatis exemplar, assertor veritatis, Cleri ordinator, Pastor Plebium, miserorum spes, tutor pupillorum, Viduarum vindex, Cæcorum oculus, baculus senum, malorum metus, gloria bonorum, Virga Potentium, Patriæ lumen, omnibus omnia.
Bernard.

HIC

Virtutum Tuarum admirabilis contextus, atq; numeris omnibus absolutum, Boni Pastoris exemplar: ex eo qui primus cœlos inornat

SERPENTE *detexetur.*

IOANNES A LESZNO LESCZYNSKI Cancell. Regni.

EMBLEMA I.

Vigilantia.

QVI Polum Arcticum incingit Serpens; vigilantiæ merito inter sydera munere (vt fabula est) Iouis, tenet locum: posteaquam tot lustris insopitus, fideli obsequio Atlantios seruasset hortos. Cuius oculos etsi nullius fefellisset dolus, vicit tamen imbecillitatem Herculis fortitudo: at sibi credita noster.

NEC HERCVLI.

QVamlibet insomni noctem statione diemque
Falleret, Hesperidum maxima cura, Draco:
Abstulit arboribus pretium Ladone perempto
Alcides, aurum despoliante manu.
Hoc Pastore lupus caularum septa reuisens,
Gnesniaco nullam de grege tollet ouem.
Cur ad oues ierim post aurea poma requires?
Denotat & pomum Milon ouemque simul.

STANISLAVS ROSSOWSKI.

EMBLEMA II.

Zelus.

SI malè sanus quispiam sacrarum sepimenta legum perditum ibis, præmoneo ab Ecclesiaste. Cap. 10.

QVI DISSIPAT SEPEM MORDEBIT EVM COLVBER.

MOrdebit Coluber qui sepem dissipat, inquit
Pagina diuino scripta magisterio.
Publica qui vertit, qui pacis iura profanat:
Hunc pia Zelosi Præsulis ira petet.
Clausa catenati seruabant ostia quondam
Sed picto haud poterant dente nocere, Canes.
Si postem rumpis, si Lechica mænia turbas,
Pro Cane Serpentem iam tibi dico, Caue.

Ostiariis canibus præfigebãt Antiqui CAVE, CAVE, CANEM. Artemid lib. 3.

IOANNES GLINIECKI.

EMBLEMA III.

Sacrorum Reuerentia

NIl fere antiquis Sacrum sine Serpente. Horus. Virgil: 2. Vnde & Templa Draconia dicta: Volebant scilicet Serpentis effigie, cui diuinum quidpiam inesse existimabant, horrorem & reuerentiam Sacris fieri. Noster quoq; insibilat.

EXESTE PROFANI.

QVicquid erat veteres quod desecrare volebant:
Credebant colubri relligione sacrum.
Hinc nullum anguineo steterat sine Numine templum;
Nullaque semidei cassa dracone domus.
Vndique splendidior Pietatis gloria surgit,
Quo Tuus ô Præsul verterit ora Draco:
Templa vigent, floret Sacri reuerentia cultus;
Teque suum nouit quælibet ara Numam.

STANISLAVS WITOWSKI.

EMBLEMA IV.

Profligatio Hæresum.

SVbitis olim artifice Magiâ Serpentibus cum Mose certatum est; sed malè cessit arena: diuinitus sibi factæ potestatis indicem Virgam, in Serpentem quoq; deformat, qui reptantes Magorum dracunculos deuorat. Si quis mille hæresum artifex in tortuosas certaturus consurgit technas, suosq; pugnæ expedit cerastas; fugiat: certa pernicies est: huic resistet.

NEC VNVS.

DIuinatorum Magicos pessumdedit angues:
Non sine præsenti Numinis arte Moses.
Polytropâ colubros Virgâ palante sub orcum,
Hacque illis certam deproperante necem.
Iam meus in vacuâ regnat Basiliscus arenâ,
Iam vocat Hæreticam Præsul in arma luem.
Væ Colubrûm pestis, mors hic tibi certa paratur:
Si morsum effugies, non baculum effugies.

RAPHAEL A LESZNO LESCZYNSKI Cancell. Regni.

Emble-

EMBLEMA V.

Amor Pacis.

MVtuis in ſeſe deſæuiebant morſibus Angues duo: eorum morti virgâ recens ab Apolline acceptâ interceßit Mercurius. indeq; pacis ſymbolon, & duos amico implexu ſibi coniunctos præfert Serpentes Caduceus: ſed melius

ID HABET CONCORDIA SIGNVM.

VEndicat adſcitum geminorum ſtemma draconum
Atlantis litem Virgâ abigente, nepos.
Exin non bellum, at pacem hæc armenta minantur,
Maiugena & colitur pacis in orbe DEVS.
Maior WĘZYCIO de ſtemmate gloria ſurgit,
Etſi haud Serpentum bina trophæa ferat.
Ille humiles animos colubrum tellure domauit
Sed cœlo æquales iſte domare poteſt.

PETRVS KARNKOWSKI Palatin. Plocen.

EMBLEMA VI.

Doctrina.

SVnt ſua Cœlo ſydera, ſunt Rebuſpublicis ſua: quæ ditant, fouent, recreant, illuminant. Vnicus Sol Cœlo, vnicus in Hierarchiâ Aquilæ noſtræ Sol Archipræſul: quem dum in imagine ſtellati Serpentis intuetur, dicit

ALIVM SOLEM NON HABEO.

SAuromatum cuſtos, & baiula fulminis ales
Implumes pueros iudice ſole probat.
An valeant oculis minime nictantibus ardens
Ferre iubar, fœtas & bibere igne faces.
WĘZYCIO ſed vbi noſtri clarere Triones,
Lumine cæperunt, Regia dixit auis;
Iam licet abſcedas ô ſol ex æthere, Soles
Non geminos poterunt lumina noſtra pati:

Non magis telis, quàm Cœlo noſtro, noſtroq; ſydere armamur. Plinius in Paneg:

IACOBVS SKRZYPINSKI.

EMBLEMA VII.

Salus.

CReditus olim Mercurius Virgâ gemino decoratâ serpente animasse demortua, atq; ab ipsis æternâ lege obserratis carceribus exsangues euocasse vmbras. Fabula. verè noster.

HOC ANIMAS EVOCAT ORCO. Virgil. 4.

ANguigero repetit proles Tageatica sceptro
 Vmbrarum Lethes agmina mersa lacu :
Tu quoque Tænariis animarum examina claustris
 Præsuleá virgá, & vindice claue rapis.
Theiologus fractos quod Diuum animasset honores,
 Ausus Anastasiæ templa, vocare Pater.
Tota sed ob tantam Præsul diuine salutem,
 Non caperet tellus Lechica Anastasias.

Nazianzenus Basilicam in quâ eius opera fides Catholica in vrbe Constantinopolitana, Arrianorum hæresi compressâ, caput attollere visa est, Anastasiam appellauit. Idem oratione ad 150. Episcopos.

NICOLAVS MIELINSKI. Castel: Camenesc.

EMBLEMA VIII

Exemplum.

MOsaicus transuerso desuper ligno impendens coluber, quia flammanti fusus ardebat ære, Seraph nuncupatus est : sed noster iustiùs qui splendore VIRTVTIS

LVCET ET ARDET.

PErtica suspensum portabat longa colubrum,
 Qui medico Hebræis igne ferebat opem.
Tu quod non fatuo rapis igne gelantia corda
 Terrigenum, Serpens me docet iste Tuus :
Si digito attigero, incendam syluam simul omnem,
 De magno Cyprius dixit Amore nepos.
Iste suis poterit mundum comburere flammis,
 In quo Seraphicus lucet, & ardet amor.

ALBERTVS WIERZBOWSKI. Castellan. Inoulad.

EMBLE-

EMBLEMA IX.

Vocatus vt Aaron.

BOnum opus desiderat, quisquis desiderat Episcopatum: nemo tamen sibi inuito Numine sumat honorem: Sed sicut noster,

OBSTETRICANTE MANV DEI EDVCTVS EST

Iob 26.

IGnifluo Coluber discindens nubila sulco,
  Obstetrice Dei prodit in alta manu.
Cælitus & nostro manus exporrecta Colubro,
  Diam in Præsuleo munere signat opem
Acer, magnanimus, patiens, sine crimine, qualem
  Aurea vix poterant sæcula ferre Virum.
Cum tot ei dederit Virtutis semina cælum,
  Natusnè an factus Præsul hic ? in dubio est.

Pars naturæ eorum est esse benos. Seneca Epist: 96.

SEBASTIANVS SZTAMET.

ODE PRIMA.

SAPIENTIA.

Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.

Æschylus.

PRrinceps sororum, maxima Lesbii
Regina plectri Calliope, fides
  Exprome doctas, imperiti
    Dedecorant calami Thalias.
Ordire plausus, non humiles iuuat
Terras inerti lambere barbito;
  Mystæque pectus perpolitum
    Palladio venerare cœlo.
Aures fauebunt Præsulis arbitræ,

Cui

Cui multa curis addita fortibus
Doctrina, felices triumphos
Aggerat, & meritos decores.
Quem rore puro Castaliæ lauans
Crines Apollo, Bellerophontiæ
Præsesque supremus Camænæ;
Pieriis opulentat Vndis.
Illum loquentem Sarmatici Patres
Audisse gaudent, oraque proxima
Phœbo stupescunt, dantq; passim
Innumeros sine lege plausus.
Septena poscit Mæonium senem
Vrbs, mota longæ vi Sapientiæ
Te prima de multis salutat
Sarmatiæ rutilans tiara.

STANISLAUS ZABOLSKI.

ODE SECVNDA

ZELVS.

Deo proximus per quem Dei maiestas vindicatur.

Iustinus.

QValis iubatis vecta Leonibus
Mater Deorum scandit Olympicum
Turrita culmen & Curuli
Celsa petit Prytanæa nube.
Vnum illa toto quærit in æthere
Debasiandum dulcibus osculis
Cœli Monarcham, qui recentes
Imperii moderatur ortus.
Hic templa cœli per tonitralia
Discit lacertis mittere fulmina
Dextráque per cœlum rubenti
Innocuos iaculatur ignes.
Vt ausa quondam dicere Numinum
Ferax vetustas, si cui vendere
Fumos volebat, fabulosos
Iugiter accumulans deastros

Polo-

Polona cœlo ſed Berecynthia,
Zeli rotantem fulmina Lechico,
Vt vidit, admirata magnos
WĘZYCIO dedit ore plauſus.
O hoc Poloni nominis inclytum
Germen! recocti pectoris o virum!
Qui nunc bonis tuam ſubintras
Auſpiciis pia Gneſna ſedem.
Iam nunc aduſtos fulminea febri
Pelli Gygantas iamque Cerauniis
Mitti ſub Orcum fulgurita
Intueor malè nata flammis.
Nam cum prehenſam mordicus arduo
Tenet decuſſim vertice, nil niſi
Noſtri Archipræſulis coruſcum
Fulmen ab ore vomit Chelydrus.

ALBERTVS KOBIERZYCKI.

ODE TERTIA.

VIGILANTIA.

Vigilia Principis, hoſtium terror.

Plato.

NOn ſic luciſiuo ſydere ſplendidus
Titan, ſtellifero deſpicit æquore
Sit quamuis oculus totus, & omnia
Magnâ peruideat face.
Non carbo piceas ſic apyrotico
Diſpungit tenebras fulgure gemmeus,
Plenis tota licet lumina combibens
Venis, perpetuat diem.
Quàm ſe ſe in Colubro viuidus exerit
Fulgor, Gneſniacus ſtemmate Pontifex
Quem præfert, pauidæ cedite ſub ſtygem
Peſtes, lucifugum genus.
Sis concluſa licet ſub Gygis annulo
Et muro penitus ſepta Adamantino
Non emiſſitios effugies tamen
Ignes, hæreſis impia.

Quos

Quos scintilliuomis Præsuleus Draco,
In fraudes scelerum luminibus vibrat:
Plusquam pomiferas Hesperidum Draco
Seruans excubiis domos.
Iam non ambiguo tramite deuians
Ludet vafricies Sarmaticos lares:
Pro nobis siquidem Præsulis igneis
Anguis visibus excubat.

STANISLAVS CEREKWICKI.

ODE QVARTA.

HÆRESEON PROFLIGATIO.

Quod dum herbescit opprimitur, in segetem non crescit.

Conzen.

IAm sat trifauci Christigenum lares
Scidisse rictu: desine, desine
Inauspicatas flare pestes,
Filia stigmatici Molossi
Infamis; vltra fors Acheronticis
Ardes Quirinæ diuidiis Fidem
Miscere gentis, vel sacratos
Romulidum lacerare fasces?
Tibi sacratum Romulei noua
Fulmen Gradiui classica detonat,
Eliminaturum Polono
Orbe Mimallonias cohortes.
Et iam tiaris signa micantibus
Paci & triumphis prospera Olympicis
Inesse dices: queis duello
Hæresis acta cadat potenti.
Hanc infecundis ominibus tibi
Parrhæ gementis non canimus Leche
Hierarcha laurum: sed precamur
Auspiciis, fidei patritæ.

ADAMVS DORVCHOWSKI.

LEGATO

LEGATO NATO



LEGATIONE

Fungeris pro CHRISTO

Grata, felix, auspicataq; Legatio: quid enim in eâ non quale à CHRISTO venit. Semper ille nobis non nisi bona.

TE PROINDE

Maximi Regis, eiusq; in Terris Vicarii maximum Fecialem Pacis arbitrum, positorem belli, legum tutorem, libertatis vindicem, beatitatis nuncium, minis, muneribus, spe, metu, precibus inuictum, verè Legatum summa omnia habentem.

HAC

Virtutum Tuarum ab altero Serpentis sydere promicantium deprædicatione acceptamus.

HIACYNTHUS WITOWSKI.

EMBLEMA I.

Boni nuncius

ERat suus Rom: Cæsari boni Nuncius Serpens. Lamprid. erant iidem Ægyptiis ac Phœnicibus felices Nuncii. Euseb: noster quoq; nobis sic fatur ab arâ.

BENE OMNIA FIENT.

DEsine Lechiacos peruadere Fama penates,
En facta est nostris buccina rauca malis.
Nil nisi triste sonas, iam callent tristibus aures.
Cressa potest nullam gemma notare diem.
Nuncia sed nostro portante BENE OMNIA FIENT
Legato, rerum surget & ordo nouus.
Cæsaribus peperit felix bona nuncia dæmon,
Angelus iste mihi sed meliora feret,

IACOBVS SKRZYPINSKI.

EMBLEMA II.

Pacis arbiter

FIent omnia bene, si dabitur quam poscimus omnes PAX. quid igitur Agathangelos noster? certum Pacis symbolon. Plinio lib. 29. cap: 2. vt verè dicat

PACEM FERO.

MAxime Sarmaticum Dictator claudito Ianum.
Æterna turæ symbola Pacis habes.
Węzycius surgens Gneznæo culmine SERPENS
Quid nisi Magnus ait Pacificator adest?
Instruat arma Ceres- sua sed cremet arma Gradiuus.
Non bellaturas Lechia sume togas.
Nuncius hic nostro vigeat Caducifer orbe;
Węzycium & nomen Pacis in omen eat.

SWETOSLAVS DABROWA.

Emblema

EMBLEMA III.

Osor munerum.

AVri sacra fames quid non mortalia cogis pectora, sed hoc non cogitur, quia non famescit: perpetua Serpenti cum Testudine pugna: in fraudem oblatorum munerum æternum WEZYCIO odium: quominus bona causa triumphet, vincitur

NEC PRECE, NEC PRETIO.

CEcropiis Nummus Testudo vigebat Athenis.
Tardigradis fuerant omnia censa feris.
Cui Testudo manus vinxit, domiporta vocari
Dignus erat, cordi cui nisi Plutus erat.
Hæc odit WĘZYK, Mars cum Testudine feruet
Angui, vincetur nec prece, nec pretio.

PETRVS IWINSKI.

EMBLEMA IV.

Promptus in pericula.

IPsa se suis laqueis induit Vafricies. Vt opprimeret incubuerat, sed oppressus succumbit. quisquis vim, aut minaris, aut paras, desiste, non cessurum scito, ipse suas quamuis fortissimus ingruat iras Leo, fractusq; illabatur Orbis. frangetur

NEC SPE, NEC METV.

QVæ Colubro Virtus? quæ vis generosa? ferarum
Infamem Regi deproperare necem?
Horrendæ licet vnda iubæ crispetur, & armet
Ora Leo, spiris strangulat ille gulam.
Omen adest, vafri Węzycius ora Leonis
Opprimet, in Lechicas cui furet ira plagas.

Frequens est Imperatorum Romanorum Numisma, Leo à serpente strangulatus.

MARTINVS KORYTKOWSKI.

EMBLEMA V.

Securus iniuriarum

IPsum sese Legati nomen suâ sanctitate ab iniuriis vindicat. in Legato enim loquitur, qui legat. tutissimumq́ præfert suæ securitatis munimen QUI VOS SPERNIT, ME SPERNIT. *præmonet ergo*

NEMO ME IMPUNE LACESSIT.

INdomitos frustra collotenus egeris armos,
Brachia Rhætæas vel meditata minas.
Non fasti fors vana putas vitricia fastus
Spicula, terlinguis quæ iaculatur hydrus?
Pone supercilium, missos venerare Dynastas,
Non dabitur canum contemerare iubar.
Quid maiestatem, multæque tenacia pompæ
Quæris condeceat pectora? Multus honos.

Sacerdotes Ægyptii in suis Sacerdotalibus pileis, serpentem gestabant, suæ sanctitatis & immunitatis insigne Horus.

ADAMUS KONIECPOLSKI.

EMBLEMA VI.

Leganti Fidelis.

SAlua omnia sunt, si ex Fide Legati fiant, ad Legantis arbitrium. id á suis Romani dum exigunt, attam Fidei anulum donant. Noster fidelitatis sedem manum, non pallente fraudibus auro illaqueatam, sed gentilicii Serpentis circulo incinctam profert: adnatam potiùs sibi denuncians esse Fidem, quàm quæsitam, certa hic proinde &

CANA FIDES.

BElliger Alpinis seu nunciat arma Latinus
Gallis, seu Pacis, fœdera firma locat.
Chryseus huic fuluo rutilescit pollice neruus,
Quem lambit maculis Tynica gemma suis.
Hic indefessas operas, curamq; fidelem
Præsuleus toto signat in orbe Draco.
Præcanamq; sidem, quâ cunctis auspice mitris
Annulus & felix semper, & annus abit.

HIERONYMUS WIERZBOWSKI Castell: Inoulad.

EMBLEMA VII.

Vitâ inculpatus.

Bene graditur Gallus. Prou. 30. sed si succingat lumbos. Ales hæc Solis dieiq; prænuncia, Præsulei Serpentis præcincta nodo, Legati nostri stabilitam vitæ sanctimoniâ fiduciam ostentans, accinit, Tu Sanctæ regula vitæ, argue

QVICQVID AB ILLA, DEFLECTIT.

Aspera pennatos stringunt cui balthea lumbos,
 Tortus & anguineo cingulus orbe tumet.
Prodroma Titanos volucris Te Mysta Quirini
 Legatum Patris voce silente canit.
Zona Tibi vincens cinctus tranquilla Gabinos
 Temperies, vitæ regula sacra Tuæ.
Cingere felici sacratos desmate neruos;
 Hoc neque Centimani rumpere dextra potest.

WLADISLAVS WIERZBOWSKI. Castell: Inoulod.

EMBLEMA VIII.

Malis obuius.

Totâ sæuientem Italiâ pestem, Serpentis specie Æsculapii numen ab Epidauro vt Romam venit, præstinxit. tot annis prouectam luem simul ac Præsul noster Legatus Natus esse cæpit, desiisse, vox est omnium

LEGATVS FIDELIS SANITAS. prouerb. 13.

Ne Serpens Epidaurius salutem
Ægris Numine conferat benigno,
Tuum nobile Chrysobarbe stemma,
Aut tetergenius male Æsculapi.
Est nobis melior ferens salutem
Anguis Wężyciæ monile gentis:
Morbidas Leche ne time procellas.
LEGATVS Tua SANITAS FIDELIS.

ANDREAS LISIECKI.

G Emblema

EMBLEMA IX.

Propositi tenax.

Motu difficile Quadrum: huic interplexus Serpens, fidenter edicit:

NON MOVEBOR.

NAtiuo coluber nil sic amplectitur auro,
Non vlmum Bacchi tam bene vitta tenet.
Non hederæ stringunt sic pergama celsa corymbi,
Stringitur vt Wężyk ista columna rotis.
Me licet Enceladi, aut diuellere dextra Milonis,
Tentet, & Hippotadæ missus ab arce Notus,
Mordicus hærebo, fas, iura, Astræa, Themisq;
Complexu stabunt consolidata meo.

IACOBVS ROSSOWSKI.

ODE PRIMA.

FIDES.

Sanctissimũ humani pectoris bonũ.

Seneca.

DElapsa virtus culmine Olympico,
Clarandus inquit Wężycius mihi:
Vt lampas alto posta circo
Gnossiacis radiet colymbis.
Quem mox sacratis mandat honoribus,
Non senticoso ducere tramite,
Ad tæniatorum supremos
Sarmatiæ procerum lupatos.
Buax sepultâ Threycium sonet
Fæcunda recti Lechia barbito;
Quæ ianitricem dignitatum,
Stellimicis habet è coluris.
Buax proborum gratificantium,
Orphæa parcant plectra soporibus,

Clarumq;

Clarumq; pulchrius nitentis
Corradiet stephanoma phœbi:
At sulphuratis impietas sonis
Ringatur, exul Tartaream bibat
Largè paludem, perpetimq;
Lucifugis latitet sub antris.
Nam gestat almus Thermodoonticas
Præsul bipennes, queis lua criminum
Prostrata, magnum Fecialis
Senriat imperium Quirini.

LVDOVICVS LISIECKI.

ODE SECVNDA

AVTORITAS.

Magnum præstandarum rerum cōpendium Autoritas.

Menander.

EXsors timoris dic age Lechia,
Horretne salso nauita marmore
Lentare remos, Typhis altâ
Si Cycladas speculetur alno?
Non; murmurantem ridet at Aufidum,
Et concitatæ Cymothoes ferum
Sæuire non dolens furorem,
Sollicitat pelagus flagellis:
Tiphym Polonam Romulus arbiter
Misit sub Arcton, qui phlegethonticas
Vitare Syrtes improborum
Edoceat rapidosque nisus.
Nil toxicato bellua multiceps
Rictu nocebis; non Boreeticam
Sorbebit Hæresum Charybdis
Christigenæ sobolem parentis.
Cedit Polonis impietas agris
Inordinatis cenchribus hispida;
Ardente perpetim fauillâ
Tænariis cineranda lustris.

Nam fulguranti vectus vt orbitâ
Adulterinas enecat illico
Rerum figuras phœbus : hasce
Węzycius pariter Chimæras.

SEBASTIANVS SZTAMET.

ODE TERTIA.

Peremptorium est in Legato, vel auram adorare munerum, vel fauorem quærere personarum.


Petrus Blesen.

PRocul patente quisquis orbe gloriam
Iugo requiris arduam Ceraunico.
Rubente tela, qua Diespiter manu
Vibrans perennat igneis cacumina.
Et vnde mugit impotentius ferox
Apeliota, quando turbinum faber
Suo gregale vulgus euomit specu,
Vt inquieta velitet Salo cohors,
Tyrannus vnde Guineam coquit calor.
Vagans reuisit ora quisquis vltima.
Per ora vulgi, vt orbe nescius mori;
Volare possit : Hic honoris area,
Palæstra, campus, atque arena gloriæ,
Feram Cleona parturit nouam tibi;
Draco, Chimæra, cerua prostat æripes,
Leo, Tricopor, & Gehenna, qualia
Nec ipse monstra belluosus educat
Atlantico sub axe fluminum parens.
Fugare corde, perditam lucri famem,
Et edomare munerum auream sitim.
At ecce monstra grandiora perdomat
Lucri incapace præliando dexterâ
Pudicæ alumna mentis innocentia,
Sacer quam amauit Archipræsul intime,
Tributum honoris abnegans pecuniæ.

IOANNES GLINIECKI.

REGNI

REG: POL: PRIMATI



QVI PRIMAS

Vbiq; teneat, aut quandoq; nullus est, aut si quando aliquis, vnus certè est.

TE NOS PRINCEPS ILLVSTRISSIME

Amplissimi Regni nostri PRIMATEM Virtute. Honore. Cõsilio, Innocentiâ. Autoritate. Prudentiâ. Labore. Iustitiâ. Maiestate cum Republica vniuersâ vt verè, ita libenter compellamus,

QVORVM OMNIVM

Tunc Te Primarium. Primigenium. Primorem. Primipilum. Primitium, Primicerium contestata est

CVM

SVI PRIMATEM FECIT.

RAPHAEL A LESZNO LESCZYNSKI Canc: Reg:

H

Emble-

EMBLEMA I.

Primas virtutis.

GEns orbis domina Romani, cum in prælia descendunt militaribus signis, suffixa. depictaue draconum colla leuant, multusq; tumet per nubila Serpens. Claud: in Paneg. Honor. Illustrißimi Serpente vexillum Poloniæ insignitum, quid nisi Virtutis se tenere primas, signumq; præferre contestatur: est ergo

NVLLI VIRTVTE SECVNDVS.

EGreditur quoties portis Romana iuuentus,
Vt Martem variis inserat orbe plagis,
Et cum sole manus spargat, suadente Gradiuo,
Non sine Serpentis stemmate bella mouet.
Compositâ picti fulgent legione dracones,
Anteuenit Serpens primus in arma viros.
WĘZYCIVS noster Virtutis signifer audit,
Quæ merito primos primaque sola facit.

IOANNES GLINIECKI.

EMBLEMA II.

Primas Honoris.

QVia hic quicquid in vtraq; Republicâ Honoris, omnium diadematum capax Serpens. hierarchicum ab Archipræsule habet. Ducale à Primo Principe. Regium ab gentilicio splendore. Sic

VIRTVTE CVMVLANTVR HONORES.

O quem te memorem Serpens, non Sfortia tantum,
Non Latiæ gentis signa tulere decus.
Terna tui exornant Stephanomata verticis orbem,
Quis non augustum dixerit esse caput.
Augustum est: Virtus cui pectore regia, Rex est.
Hinc etiam inuitum Regius ambit honos.

GABRIEL KARNKOWSKI. Palatin. Plocens:

Emblema

EMBLEMA III.

Primas Laboris.

PLuribus incoctum est generoso pectus honesto : sed magna patantem animum deprimis laboris timor : nonnisi tamen improbo triumphatrix Palma succrescit labore, sudorisq; eget Laurus honesti : Nunquam segni populata manu, Palmas frangi sensit Idume. Nouerat hac, cuius SERPENS *postquam animoso nisu immensos superauit Columnæ tractûs summoq; potitus loco, terno diademate decorus inquit*

HÆC PARTA LABORE.

WĘZYCIVS Serpens en summa cacumina lambit,
Improbus & colubri possidet alta labor.
Præsulis heroi meminit se signa sequutum
Principe quem posuit Sarmatis ora loco.
Ignea Virtuti Vis est, sublimibus ausis
Certa vel in superas vi penetrare plagas.
Hæc terræ ereptum, cœli stitit arce cerasten.
Spemque facit Lechicum surgere posse decus.

STANISLAVS CEREKWICKI.

EMBLEMA IV.

Primas Autoritate.

LEpidus Triumuir nemoroso alicubi acceptus hospitio, insomnem prope ob auium garrulitatem exegit noctem : queritur in crastinum : Ciues depictum in longissimâ membranâ Draconem luco circumducunt, eiusq; imaginis reuerentia altissimum auibus indixit silentium. Plin: lib: 35. Cap: 11. Sic quibus omnia lingua est, malorumq; uniuersitas, vt Tuum Gnesneo pegmate SERPENTEM

CONSPEXERE SILENT.

IN placidum Lepidus somnum declinat, at ecce
Grex auium solitos obstrepit ore sonos.
At simul obducta est picti Cortina Draconis
Garrula plebs cæptos conticuere choros.
Nunc ergo Lechicum fas esto quiescere regnum
Improba dum SERPENS peruigil ora premit.

ADAMVS KONIECPOLSKI.

EMBLEMA V.

Primas Consilii.

MIserum est nonnisi suis erudiri malis; felix qui dum periclitantur alii sapit sibi; nullis omnino malis præmoneri, sed solo in omnia pericula muniri consilio beatissimum. id PRIMATIS nostri SERPENS insigni collustratus sydere Patriæ repromittit. Hic Cimmerias technarum noctes

SVO DISSIPAT ASTRO.

STelliger Arctôo radiatus membra Cerastes,
Myxo, parrhasium fert tibi Leche iubar.
An quia Sarmatico mens est proscribere cœlo
Cæcum Nyctimenes Nycteridumq; gregem?
Scilicet hac prodent malesuados luce Sinones
Pectora, consilii queis rutilauit honos.
Hac radians Arcto Primorum Prime mereris
IOANNES, Lechiæ Consul, & esse decus.

SERPENS qui est quadragesimum quartum Cæli sydus habet in pectore stellam secundæ magnitudinis. huic allusimus.

HYACINTHVS WITOWSKI.

EMBLEMA VI.

Primas animi magnitudine.

VLtima quæ totum circumplectitur orbem Sphæra, Magni animi symbolon est Horo Apollini: huic noster dum supereminet Anguis, tantam PRIMATIS sui indicat magnanimitatem. Vt pateat

VLTRA COELI SOLISQVE VIAS.

EMpyreos tractus & lati pergama mundi,
Hocce Syracusius pressit in orbe labor.
Pellege, nil teretes licet vltra cernere gyros,
Queis metata manent sydera, Thetys, humus.
Sed Tua mens tantum metas supereminet istas,
Quantus magnanimo pectore sedit honos!
Vltimus Astra, Solum, Solemq; excedit olympus,
Nil colubrum excedit Magne Dynasta tuum.

MARTINVS KORYTKOWSKI.

EMBLEMA VII.

Primas Auxilio.

NVsquam Mortalibus ægris alienæ opis deest occasio. quæ vt maxima ita plurima à Principe est. Ophiogenes in Cypro Insulâ, & Serpentûm morsibus innocui sunt, & læsis aliis solo manus attactu medentur. Plin: 28. cap: 3. idem sperandum à WEZYCIO nostro. cuius

SATIS EST TIBI NOSSE MANVM.

Curre, Machaonias noster tibi Cynthius herbas
Ingerit, & medicam sponte ministrat opem.
Cenchridos anne vagi Lernæo liuida succo
Ora times? manus hæc Marsyca dextra tibi est.
Inclyta Vipereos nescit clementia morsus,
Nec didicit mæstis philtra fouere fibris.
Quin iam Præsuleæ dextram coniungere dextræ
Ne dubita, satis est hanc tibi nosse manum.

ALBERTVS KOBIERZYCKI.

Primas Innocentiâ.

QVod oculis Phœnix, id bonus Princeps Rebuspublicis. vt merito dixerit nonnemo, Vno anulo omnes includi posse. rectè sanè, cùm nihil peccare & omnia regere Deorum sit. Solon. At serpens noster, dum sceptrum, manumq; colligat, summam Primatis nostri in Principatu innocentiam designat. qui nec ipse faciat, nisi ab optimo imperanda, nec imperet nisi facienda optimis: sic iam

VIRTVS ET SVMMA POTESTAS CONVENIVNT.
Lucan:

Criminis immuni quondam regere omnia sceptro
Diuorum munus dixerat esse Solon.
Sic equidem raro virtus & summa potestas
Conueniunt, rarus præses in orbe bonus.
Sed tibi Węzyci superûm indulsere fauores
Innocuâ Gnesnæ sceptra tenere manu.
En sceptra applaudunt. Solus regat omnia Præsul
Illimes peragit qui sine labe dies.

ALBERTVS WIERZBOWSKI Castell: Inoulod.

ODE PRIMA

CONSILIVM.

Consilium inter homines diuinissimum est.

Arist. Rhet ad Alexandrum.

QVis me refuso syrmate rosido
Pigri Bootæ calle sub Arctico
Caliginosa nocte pressa
Risibus Heliacis redonat?
Nunquid repexis candida crinibus
Ægle serenat? num Andromedes pater
Distinctus astris decolorem
Empyreis miniat Smaragdis?
Rides iacentem Phœbe Poloniam,
Scintillulantes an faculas hydræ,
Cincinnulosq; flammulasque
Gnosiacæ retegis pupillæ?
Bene est; mitrati Principis inclytus
Vertex refulsit, Gnesniaco polo
Vincens coronatos Quirini
Malobathro syrio capillos.
Hic & decorus consilii face
Lechum corusco sydere vestiet;
Damnabit & longo verendus
Sisyphiam sobolem labori;
Quidni Dicastis æmula Patribus
Obnubis alti templa senaculi
Libido? iam tandem sacrati
Os animumq; verere consi.

ODE SECVNDA

MAGNANIMITAS.

Magnam Fortunã, magnus animus decet.

Seneca 1. de Clement.

Periura pubes olim Eridos truci
Impulsa thyrso, Bistoniæ caput
Natale Diuæ, per nefastas
Traxerat impetuosa curas.
Pauit refracto corde Diespiter
Thorace quamuis forcipe Lemniâ
Pressus recocto: fabulosos
Iste animus decuit Tonantes.
Vis ô Vetustas pectoris inclytam
Quam nec tumentis saxa capharei,
Argiua ponti belluosis
Nec premat in tumulis Carystos:
Pharum tueri? magnanimam indolem,
Magnæq; mentis prodiga pectora
Nostri Dynastæ non retorto
Lumine prospiciens adora.
Non candicanti sydere celsior
Conuestit oras Amphytrionides,
Excedit haud altò verendos
Astritetens animos Olympus.
Sensit Polonæ regia Curiæ
Quid alta faustis sub penerralibus
Mens posset. hoc dulci Tiaras
Tertius ingeminat susurro.

ODE TERTIA

CONSTANTIA.

Vel si fractus illabatur Orbis.

Horat: 3. Carmin.

INfracta neruos cui adamantinos
Non infecundo robore fulciit
Virtus, proteruis ad Gelonos
Tradat Amazonias secures
Portare ventis: mœnibus hosticis
Talem seuero læta negotio
Ductrixque bellantis Tyranni
WĘZYCIVM speculata plorat
Rhammusis, eheu dura necessitas.

Hunc si lacessat, si cuneos manu
Refigat Ætolos potenti
Vertice, turpe solum Virili.
Coget nequaquam tangere bregmate
Fortem Dynastam, fors Getico prius
Ligone motura obstinatas
Æquoris Isthmiaci saburras.
Auri Sabinâ si vel opum sitis
Stringat Catenâ, mox Curii nouum
Secuta robur mens, dolosas
Deteret ingenuè Catastas.
Non est in altos imperium Tyches,
Heroas, etsi tela Cydonio
Intendat arcu, siue fætas
Destituat iaculis pharetras.

STANISLAVS KORYTKOWSKI.

ODE QVARTA


PRVDENTIA.

Vnica Principis Virtus Prudentia.

Arist: 3. Polit.

PArens Deûm Prudentia, & inuidi
Regina Fati, dic age num tuis
Ditata Gazis tæniato
Pectora Węzycio dedisti?
Hem dedolatis insipientiæ
Scabris acutæ pectine Pallados,
Tandem triumphatus Phrynondas
Præsuleos gemit ante fasces.
Formosus istam signat adoream
SERPENS auitum sanguinis inclyti
Agalma, mordet bracteatum
Cui rutilas Anadema cristas.
Nam turre spectans vt phariâ Vigil
Aduersa curuo lumine compita
Pererrat, obtutuq; seruat
Marmaricos speculator hostes.
Auguste, prudens sic animus Tibi
Primas futuros ponderat exitus,
Pensatue quid Matuta donet
Posthuma, transiliensue Phœbus.

PRIMO PRINCIPI



PRINCEPS

animata DEI imago, eiusdemq́ maxima cura, Vt pote compendium aliorum. Nasci Principem Fortunæ est: fieri, plerumq́ gratiæ, Principem, Principum esse, maximæ Virtutis.

TE

quem vniuersa Respublica nostra PRIMVM PRINCIPEM nuncupauit, nonne Principum Principem esse Voluit? nec immeritò,

IN QVO

Vt prima omnia, ita & summa aduertit: Prudentiæ domicilium. Fortitudinis arcem. Iustitiæ tribunal. Consilii oraculum. Moderationis normam. Aram Clementiæ. Humanitatis specimen. Honoris fastigium. Virtutum deniq́ omnium thesaurum.

STANISLAVS WITOWSKI.

EMBLEMA I.

Patriæ ornamentum.

QVod olim Maximiani Panegyristes de suâ imagine, idem nos nisi quòd veriùs de istâ. MATERIA QuAM ARTE FELICIOR EST. Stat Regni decus Aquila, Serpente torqui aureo impendente decora. quid nisi hunc sui maximum esse ornamentum declarat. ita sanè, quod mundo Sol, quod Lux aëri, quod annulo gemma

SVVS HOC SIBI PRINCEPS.

QVid sulcaturas segnis moror aëra pennas?
  Norint stemma recens solis vtrique lares.
Stemma meum Coluber, vili non turpor abollâ:
  Nolo phrygem, nolo tela trisulca Iouis.
Leche meum archetypon, cordiq; immerse maniple
  Obtineat Primas proxima colla fibris.
Reptilium Regi, volucrum sociate monarcham,
  Congrua sunt Regum stemmata, Principibus

Perpetuum Principum insigne SERPENS. M. Alexandri. Augusti. Tiberii. Aureliani. Maximini. Seueri. Impp: Epaminondæ. Cleomenis, Anchisis. Plutarchus in Cleom. Regis Sinarum Senatorumq; Regni omnium Maffeius lib: 6.

SEVERINVS BIELICKI.

EMBLEMA II.

Hostium victoria.

PRæliantes aduersus Arcadas Helei: ope Adolescentis in Draconem versi, Victoriâ potiuntur, hinc illis Sosipolis DEVS. Pier: lib: 16. Sed noster Serpens

CERTIVS OMEN HABET.

NE trepida clypeata cohors columenq; Gradiui
  Sarmaticum, tragicâ prælia flare tubâ
Lechice Mars crispa conum, conuelle dracones,
  Tisiphone vertet Sueuica signa retro.
Dum puer Helæis auspex colubri induit artus,
  His spolia Arcadibus funera mille tulit.
Stemmata Primatum migrant in Principis anguem,
  Macte animo, Serpens omnia dextra parit.

ADAMVS KONIECPOLSKI. Emblema

EMBLEMA III.

Amor bonorum.

AMor ac deliciæ generis humani Titus; fecit id illi clementia nomen. Sueton: quæ temperies quædam Maiestatis in Principe est; temperata verò delectant plurimùm. Petrarcha. Quid Principe nostro suauius? cui verè dixerit Propheta Isai 11. delectabitur infans super foramine aspidis & in cauernam Reguli mittet manum suam. &

MVLCEAT LICET HAVD TAMEN NOCEBIT.

NOxia Lernæi ponens aconita veneni,
En facilis teneras basiat hydra manus.
An quia setinis multum spatiata rosetis
Eurynome Lechicas vis habitare plagas?
An verò placidi vultu gauisa Dynastæ
Præsulæá spectat ludere fronte charin?
Scilicet Herôis facie ridente serenâ
Conuenit ingenium mitius esse feris.

WLADISLAVS WIERZBOWSKI. Castell: Inoulod.

EMBLEMA IV.

Malorum odium.

ALit Mesopotamia & Istron, amicos sibi serpentes, qui cùm in aduenas sæuiant, indigenis non parcunt modo, sed etiam blandiuntur. Arist: Admirab: 145. Nostro, quisque malus, aduena erit: proinde armato licet fulminet ore, Sed

NON IN SKOS.

O Caue qui Patriæ de bustis vina liguris,
Publica cui propriis posteriora bonis.
Stat Vigil excubitor pro Lege, & pro grege SERPENS
Alterutrum quisquis læseris, hostis eris.
Non est quod panacen speres: hæc fertur amicis:
In patrios hostes cuspis habetur atrox.

STANISLAVS ROSSOWSKI.

EMBLEMA V.

Pœna vitiis.

Diu libaturus Apollo, Coruo, adferret aquas imperauit, is deceptus ficubus ac detentus, moram Sacrificio fecit. post vbi quoq; sitiit ipse, fonti aduolat, sed Vindice Serpentis irâ punitur, cum prohibetur potu, æternaq; damnatur siti. Sanè nostri etiam Principis hydrus, sanctè affirmat.

NEMO IMPVNE MALVS.

Nigre quid auratum pedibus Cratera recuruis,
Tardas, & Lycii festa moraris Heri?
Sibila iam torquet Viuarum obsessor aquarum,
Hydrus, iucundæ pœna relicta gulæ.
Non postrema Tuæ numeratur gloria curæ.
Præsuleo cunctum Marte ferire scelus.
Princeps, ille mali patiatur iura nefasti,
Vindice cui Nemesis pectore amica stetit?

IOANNES GLINIECLI.

EMBLEMA VI.

Subditorum amor.

Mira Vis Philostorgias in Serpente, vt tela inter & ignes sobolem petitura ruat, ac propriæ prodiga vitæ, eorum se deuoueat saluti quos genuit. Magnum symbolon eorum amoris quos in Christo genuit Præsul ac Princeps noster. pro quorum salute

OMNIA FERRE PARAT.

Aspicis in medios Draco quám ruat impiger ignes,
Nec metuat vitæ funera certa suæ.
Ne pereat soboles, non abnuit ipse perire.
Nempe feras etiam prolis adurit amor.
Archiereus simili quám ferueat igne? Draconem,
A Domino dices id didicisse suo.

SEBASTIANVS SZTAMET.

EMBLEMA VII.
Hostium terror.

NVsquam sæuior Anguis, quàm dum propriam vindicat cauernam, tunc vehementior sibilo, tanc perniciosior ictu. Vnde & amantis Patriam Viri symbolon esse meruit, estq; PRINCIPI nostro qui eam

VTROQVE TVETVR.

QVis furor ô cæci Ventosá mente Gigantes
Detrahere ex solio cælite velle Iouem?
Quis furor ô pestes Patriæ turbare quietas
Sarmatiæ, Anguillæ quò capiantur, aquas?
Cernite Gneznensi qui culmine constitit anguis
Quam celer ignitos fulminet ore globos?
Vana Cethegorum fraus est, Vis Vana Gigantûm,
Fulminis hæc ictu, lùminis illa cadet,

PETRVS IWINSKI.

EMBLEMA VIII.
Studiorum fauor.

PRinceps Bonziorum Indiæ Musæum, Serpentem è laqueari pendentem, pluribus interplexum spiris insigne habet. Maffeius lib. 4. Epist. Indicar: Ex Epist: Ludouici Froii. quod illi Sapientiæ symbologlypton esse volunt. Nos in Principe nostro Mecænatis in literas animum prædicamus, cuius amicum Palladi stemma Nostris quoq; Menianis solenni ritu.

IPSE SVFFIXIT APOLLO.

QVæ Vasti surgit facies inopina Palati?
Conspicuumq; nouo stemmate turget opus?
Quid facit Æolidum Colubro, Phœbiq; Lycæis?
Diuini fugiunt dipsada castra sophi.
Atticus Aonias, Suadæ, Cyllenius, arces
Ales amat, Sophiæ culmina Rex volucrum.
Non opus Oedipode est: aurem mihi vellit Apollo
Ipse suis fixit stemmata amica tholis.

PETRVS WALEWSKI. Vexilliferi Sierad.

ODE PRIMA.

PAX.

Pax optima rerum.

Silius 11.

QVid contrahentem Phosphoreum Lechi,
Ryphæa spectans lumen Oriona,
Mæres propago, tot malorum
Lethifero decumata cornu?
Ergon probroso gramine proruet
Polona Virtus? Martia siccine
Formidolosas concitatim
In Gyaros ruet acta puppis?
Icede laxo quo rapit impetus
Mors furua neruo, lædier Africis
Fortuna Sarmatum renascens
Non sinet impetibus carinas,
Seruante nunquid regna Tyrinthio
Ærata quemquam conteret efferi.
Manus Pyremchi? seu Hyena,
Marmaricis generata cryptis?
Custode rerum Węzycio tuis
Sors leua cedit finibus, alea.
Inaugurauit Martiali
Quem pietas Prytanem Trioni.
Non fascinatos bubalus arguet
Vltra lacertos, vincier impontens.
Dum stabit Hydrus imminenti,
Hesperiis nociturus aruis.

ODE SECVNDA

PRÆMIVM ET POENA.

Pœnæ & præmia Regnor: firmamēta

Scriban: lib: 2. cap: 14.

INauspicatam pectoribus, mali
Quando nefasti bellua centiceps,

Lympha-

Lymphata spumans ore philtra
Perniciem properauit æquis,
Silente nunquam te voluit pede
Princeps inultum iusta seueritas
Transire crimen; quin colonis
Iura dares male feriatis
Quocunq; scapum dextera Principis
Dices obarmata impenetrabili
Scuto retorsit; impiati
Mox scelerum timido sequestres
Fugere cursu: mox pede proruta
Iniurioso, rursus honoribus
Primis [vt amisso calore
Lana rubet medicata fuco]
Virtus refulsit, iam melioribus
Donata sceptris, atque curulibus
Reposta, quas dura insolenti
Verterat improbitas furore.
Talis fuisti dum premeres ebur
Episcopale, durus in improbos
Vltor, sed Astrææ innocentis
Præsidium, venerande Primas.

ODE TERTIA.

IVSTITIA.

Virtutum vniuersitas.

Arist: Ethic: 5. Cap: 1.

Diiudicandis litibus arbitra,
Inuisa terris, charior ætheri
Momenta rerum, semper æqua
Quæ geminâ trutinas bilance:
Occlusa cæcis forsan opis fibris
Inhospitalis viscera Caucasi
Rimaris? aut sagax plateis
Helligeræ spaciaris aulæ.
Lustras tribunal forsitan Æaci?
Aut Regna, Minos quæ coluit, colis?

Sortes recenses quas coarctat
Fatidicâ Rhadamantus vrnâ?
Oris secundos Samaticis gradus
Reflecte, dextroque annue lumine
Pronisq; votis, dexterisq;
Sollicita prece Lechus ambit.
Spondent recentis stemmata Præsulis
Tuis fauores imperiis, nouos:
Prudentiæ anguis infulatus
Participes faciet Dicastas.
Non gleba ciui Migdonio frequens,
Nec gaza Gangis climata diuitans
Infascinabit, nec sinistras
Illicibus laqueabit antis.
Duce Angue Virtus exilio redux,
Diceque congrex Iustitiæ comes,
Squalore detorso, situque
Ad Lechicas remeabit arces.

PETRVS WALEWSKI. *Vexilliferi Sirad.*



PANEGYRIS
EPICA

A Quo surgat opus, phœbi sublime patronum
Quem sibi Pierii depoſcat gloria circi
Hæreo, nec variis mihi mens quaſsata reſedit
Fluctibus; vt ſueuit concepto Mænas Iacho
Prona corymbiferis velatam frondibus haſtam
Vibrare, & vario dubios ſuſpendere greſſus
Turbine, quo tandem piceis conſiſtat in vmbris
Vulnificam quatiens Baccharum antiſtita buxum
Alpha Sacerdotum ſed ſe mihi protinus offert
Noſter Węzycius, quem muneris ornat honore
Præſulei palmare decus, quemque aurea virtus
Eximit è populo, & ſupplex cui ſponte tiaram
Gneſna dedit, petiitque ſuis ſuccedere tectis.
Eſt domus excelſo cœlorum cardine, mentes
Effugiens noſtras, ſuperum vix cognita cuiuis
Quam diuina ſuo metata decempeda flexu
Solaque conſortes nequicquam experta profanos
Maieſtatem operis qui ſuffragante leuarent
Artificique manu ſocia adiumenta pararent
Arbitra cælituum Sapientia ſtruxit amuſſi.
Totum opus illius, paries non marmore ſecto
Coctilium aut firma laterum compage renidet:
Omne ſed obtectu ſyluæ frondentis inumbrat
Scena latus, longo circumſtant ordine Cedri
Bacciferæ Laurus, Platani, diſperſa larignas
Porrigit in longum radix immortua furcas
Perpetuá ſerie, & tabulis per mutua nexis,
Arboreum veſtit viridantia mænia textum.
Vt mera prata putes nemorum campoſq; patentes
Et ſimul in clauſo videaris degere luco.
Stat medios complexa lares procera vetuſque
Palma, per ætates Arabæ ſeruata volucris,
Cúmque ſuâ numerans rediuiuos hoſpite Soles.
Huc Diuûm chorus omnis adeſt, huc præpete pennâ
Conuolat, & ramum è palmâ fruticante recidit
Si cui fatales pepererunt facta triumphos
Quam propè multiplici veſtitæ fronde columnæ,
Pegmatis in morem ſurgunt, plexiſque per orbem

M Palmi-

Palmitibus, varios se machina præbet in vsus.
Atque ita clauatæ pendent ex ordine vestes,
Prætextæq; togæ, saturataque pallia cocco
Et quæ bis Tyrio Sidon pudefecit aheno
Purpureos chlamydum vestispica seruat honores
Arbor, & innumeræ sine censu & pondere gazæ
Gemmiferum sustentat onus crustata pyropis
Infula dependet, lemniscatæq; corollæ
Pontificum mitræ, diademata, sceptra, galeri
Regales trabeæ, litui fascesque superbi
Et quæcunque suo diues vindemiat orbe
Aut piscatur Arabs, vel decolor Indus, vbique
Conchea largificam iubaris vomuere procellam
Munera, quisque sinus Peruano palluit auro
Inter quæ Zephyrus tenui spiramine perflans
Vergere fertilibus compellit ad ima corymbis.
Et nunc prociduis (quas non sua parturit arbor)
Fructibus adlambunt terram, rursumq; reductis
Egregiè ludunt oculorum gaudia ramis.
Aut aliam ex aliâ discursim insignia plantam
Transiliunt, migrantque locis, si quando susurris
Afflantur leuibus, dubiis tum passibus errant
Et refugos simulant per summa cacumina gressus,
Sic faciunt quoties cupiunt arbusta iocari
Qua Cycladum rugæ coeunt, qua deinde recurrens
Deflua ad vsque solum se proiicit ora lacernæ
Qua capulo candet Regum gestamen eburno.
Quælibet obscuris extremo in margine læna
Effigiata notis, quas non quicunque Deorum
Enthea fatidico præcordia numine plenus
Confusas legere & componere posset haruspex.
Qualia per Scytale sinuosa volumina pingit
Signa Lacon, luditque suis ferrata Cylindris
Machinula, ac imâ puerorum turba papyro.
Ipsaque non rarò temeraria Dina procaces
Falleret obtutus, ni detectura latebras
Afforet arcani interpres Sapientia lusus
Quæ subitò sparsa hæc symulacra recolligit vno &
Ponit in aspectu, mysteria tanta notarum
Euulgans, liquidoq; legi dat nomina, quorum
Deuotum caput imperiis, & certa fatigant
Iussa Deûm, scribæque Iouis tria Numina Parcæ.
Pellibus obsignant, Themis aut longæua futurum

Præcinit,

Præcinit, Horarumque vigil prænuntiat ordo
Hic quoque GNESNA tuus cælestia stemmata PRÆSVL
Asseruata tenet, nec enim præcelsa caducam
Verrit humum virtus, quæ iuste vendicat alto
Diuinum præ sole genus, renuitque morari
Inter despectas animarum ingloria turbas.
Hinc pastoritii procerum de more vetusto
Omen habet sceptri, & primos attollere fasces:
Hinc Diuûm Regina dedit quæ sola supremo
Prouidet humanis cælo Sapientia rebus.
Namque Sacerdotum decus & spes aurea, fato
FVRLEIVS postquam mortalis pignora vitæ
Exuit, & magno Lechicos squalore Triones
Compleuit, celsis viduans virtutibus orbem
GNESNA catenatos longis experta labores
Temporibus, gemuit, vacuos sine Præsule fasces
Inspiciens, crebro plangebat verbere pectus,
Insuper & mœsto ad Superos sic ore locuta est.
Ergone Sarmaticos longum Custode penates
Orbatos patiere premi tot fluctibus? ergon
Desita priuato stertent insignia cultu
Rex Superum? nec erit cui Infula sacra maritet
Pontificale caput? tantúmne remota fatiscunt
Auxilia, & nostris, quoquò te vertis, vbique
Spes conclusa malis? curarum fluctuat æstu,
Relligio, nutatque Fides, Pax aurea verso
Ad Superos temone fugit, Mauortia rursus
Bella sonant, dubiosque quatit discordia Lechos.
Pone modum tantis rector supreme periclis:
Daque virum, nostræ valeat qui sedis habenas
Paccatâ frænare manu, quique impiger orbem
Sarmatici possit validis versare lacertis
Imperii: atque nouus scapulas supponere cœlo
Alcides Lechico, fessum erecturus Atlantem.
Fata per HENRICI, sellam probitate Curulem
Qui tenuit, sacri per si qua est cura Senatus
Obtestor, dubiam Regni ne desere puppim.
Dixerat: & subitò discissâ nube, polorum
Occulti micuere sinus, patuitque reductis
Cardinibus cœlum; stupuit miracula Diuûm
GNESNA tremens: atque vt defixo in sydera vultu
Constiterat, clausos in humum deiecit, & alto
Præstrictos fulgore oculos, obnubere peplo

Iam voluit. Sed Vox ex alto reddita mentem
Erigit, & cœlo pauidos aduertere vultus
Imperat, afflictam recreans hæc insuper addit:
    En cui distulimus Gnesnensis sceptra Tiaræ
Præsul adest; sæcli species noua surgat, Honores
Cede Tiaratos iam felix Gnesna Ioanni
Węzycio; sic fata volunt: sic arbiter vrget
Cœlicolum, præsesq; sacri Sapientia ludi,
Cœlo tanta venit, quam quæris Gnesna, potestas.
Cœlestemq; tuus cognoscit Episcopus ortum
Hic vir hic est, Pietas teneris quem fouit ab annis,
Solaque materna venerabile pignus ab aluo
Traxit, & ætherea formauit imagine vultum,
Huic innata viro probitas, mentisq; togatæ,
Rara coronati capitis, concordia præses,
Quid Phœbea dicax memoret Sambuca, quot huius
Pectore Virtutes varios clauduntur in vsus?
Iustitia æquali suadet pariare metretâ
Quæ quis commeruit, zonâ præcingit Iberâ
Temperies lumbos, stabilit Constantia pectus.
Arcem Consilii posuit Prudentia, ne quid
Inconsulta dehinc doleat fecisse Voluntas.
Prisca Fides Lechiæque vetus nutricia, castum
Vestiuit candore animum, consedit & imis
Perpetuó comitans illustria facta medullis;
Non cupidis illum manibus prensare Tiaras
Ambitio humani captatrix sedula plausus
Impulit, & turpi temerare sacraria quæstu,
Quæ consanguineus tempus Virtutis in omne



Struxit Honor, voluitq; æuo durare perenni;
    Macte nouis PRÆSVL titulis; absiste morando
Viribus indubitare tuis, tibi primitùs iste
Debebatur honos, etenim GNESNENSIA magne
Vt primum faustis tetigisti culmina, PRINCEPS
Alitibus, Lechico melius sperare licebit
Atque vouere solo, tunc omnia rectius ibunt:
Hoc capiet Regnum sacro sub PRÆSVLE vires,
In cuius manibus res deformata rotundis
Publica vulneribus, tandem medicata recumbet.

PETRVS WALEWSKI. Vexilliferi Sirad.

